



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Variorum In Europa Itinerum Deliciae**

**Chyträus, Nathan**

**[Herborn], 1599**

**VD16 C 2803**

Misnica. Fribergæ In Misnia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

FRANCISCI OTTHONIS DUCIS BRUNSB.  
& Lüneb. qui obiit anno 1559. 28. April.

*Hic etiam illustris Frantz-ottho conditur urna,*

*At mens caelesti vivit in arce Dei.*

*Chara quid extinctum conjunx, quid patria luges?*

*Non moritur, vita qui benefunctus obit.*

MEMORIÆ

Catharinæ Tileniæ Cellensis, Melchioris Danquardi Secretarii Megapolitani uxoris pudiciss. septimum prægnantis, sed inter Henricopol. & Brunsvigam ebrii aurigæ incuriâ cum viro & duobus filiis bis vehiculo excussæ, & ita consternatæ & læsæ, ut paulo post huc delata, abortum fecerit: & undecimo post die, ipsa quoq; pie obdormierit: & hoc ipso in templo, quod ante an. xvi. sponsa adierat, in spem lætissimæ resurrectionis, sepulta sit. Anno ClO. Id. xxciiv. Decemb. xii.

Maritus conjugi dulciss. & opt. de se meritæ pietatis ergo cum luctu & lachrymis P.



MISNICA.

FRIBERGÆ IN MISNIA.

MAURITII DUCIS SAXONIÆ TUMULUS MARMOREUS, TABELLIS

DISTINCTIS.

I. TABELLA.

Mauritius Dux Saxonie, Henrici filius, Alberti Nepos, Ernesti pronepos, in hac urbe nascitur, XII. CAL. Aprilis, matre Catharina Mechelburgia, ducis Magni filia. M. D. XXI.

II.

Avus Mauriti Dux Albertus, Friderici III. & Maximi-

Z iij

liani Imp. hostes, Matthiam regem Ungariæ pepulit ex Austria; Carolum Galliaë é toto eiecit Belgio. Obiit M. D.

## III.

Pater Mauriti Dux Henricus, Gubernator Frisiorum, in urbe Franica de vita periclitans, peragrata Palæstina & Gallicia, uxorem ducit, anno ætatis xxxix. M. D. xli.

## III.

Georgio fratre mortuo, Henricus provinciis ejus potitur, fovensq; á tribus agnatis defensam religionis & veritatis causam, divino patriâ afficit beneficio. M. D. xxxix.

## V.

Mauritius Dux Agnetem Philippi Hassiæ Landgravii filiam natu maximam, de qua Albertum filium, & Agnetem filiam sustulit, conjugem eligit, anno ætatis suæ xx. M. D. xli.

## VI.

Patri Henrico ad regna cælestia ex ærumnis humanis feliciter sublato, Mauritius succedit, magna expectatione virtutis, summa ordinum omniû gratulatione. M. D. xli.

## VII.

Imperii sui temporibus Ecclesias & Academias conservavit, & auxit. Ludos illustres tres aperuit, Dresdam, Lipsiamq; splendidè munivit, arces novas fecit, ornavit veteres. M. D. xlii.

## VIII.

Cum electore agnato orta de Wurcina oppido controversa, specimen industriæ singulare dedit, & consilia pacis, suadente socero Landgravio, non invitus admisit. M. D. xlii.

## IX.

In obsidione Budæ Ungariæ, animus ducis nullius præsentior, militis nullius virtus eminentior Mauriti fuit, suis stipendiis ultro militantis. M. D. xlii.

## X.

Carolo v. contra Galliaë regem Franciscum ad oppidum Veromanduorum Landresium opem tulit, pro sua suorumque majorum erga imperatores perpetua observantia. M. D. xliii.

Carolo

## XI.

Carolo iterum contra Gallum auxilio veniunt ipse & frater, cum equitatu lectissimo, & ad Divum Victorinum hostes pari alacritate & impetu aggressi, claram reportant victoriam. M. D. XLIIII.

## XII.

Henricum ducem Brunsvicensem socero & agnato imparatis, arma subito inferentem, suo adventu terruit, & actiones omnes ita moderatus est, ut bellum jam ardens sine cæde extinguerent. M. D. XLV.

## XIII.

Carolo Imp. bellum difficile Germanis faciēti, ne provinciis paternis & avitis, dubia rerum fortuna exueretur, arma socia jungit, injurias domi forisq; timendas á suis populis arcet. M. D. XLVI.

## XIIII.

Mauritius dux ob præstitam constanter fidem, & navatam strenuè operam Imp. Carolo, ab eodem Rom. Imp. Ensiser & Elector ritu solenni declaratur. v. i. Cal. Mart. Comitii August. M. D. XLVIII.

## XV.

Urbem fortissimam Magdeburgum, pactiones á Carolo oblatas recusantem, publicæ militiæ dux factus, graviter obsidet, quam mense demum xv. conditionibus sanè tolerabilibus in potestatem redigit. LII.

## XVI.

Durante obsidione, ne qua occasio in Germania novi tumultus relinqueretur, in agro Hadelensi, Verdenſis diœcesis, collectam militum manum incredibili virtute & celeritate dissipat. M. D. LII.

## XVII.

Carolus Imp. Romanorum, ut fidem socero datam liberaret, captis Alpinum Rhæticarū angustiis, impugnat: conventu Passano pacem religioni, libertatem principibus, decus Germaniæ restituit. M. D. LIII.

## XVIII.

Solymani Imperatoris copias, ducto in Ungariam victore exercitu, terrore nominis sui intra præsidia conti-

net: insulam Danubianam munit: cladis exitiosæ metum  
genti pené oppressæ adimit. M. D. LVII.

XIX.

Alberto Brandeburgio, armis & incendiis in patriam  
sævienti prope arcem Peinata ad vicum Siffridhusium  
congressus, in cursu victoriæ globo ferreo feritur. tertio  
póst die obiit, v. Id. Jul. M. D. LIII.

XX.

Augustus dux Saxonix Elector, Mauritio fratri, bello-  
rum omnium victori, felici, & magnanimo, pietatis cau-  
sa, hoc monumentum fecit, cum vixisset gloria perpetua,  
annos xxxii. mens. iiii. d. xxi. h. x.

EPITAPHIUM LOTHARII IMPE-  
ratoris inventum in membranis antiquis  
à Georgio Fabricio.

*Lotharius scepro, cum Carolus alter adepto  
Æquo judicio præsuit imperio,  
Diruit errorem regni, firmavit honorem,  
Inclytus Italia victor & Apulia.  
Exiit membris, heu trina luce Decembris,  
Ecclesia gemitus, illius est obitus.*

MISNAE IN TEM-  
PLO D. VIRGINIS.

EUGEVIA TOR.

Durum, si nescis, frangit patientia.

ANNA

Gentis Betschitz nobilis foemina, immensis malorum a-  
cta casibus, armis munita patientiæ victrix sæpe, nunquã  
succubuit, hinc magnum exemplum statuit, unus funestus  
dies, tres charissimos, Theodoricum Commerstad con-  
jugem, duosq; filios (infandum) gravidæ abstulit, ipsaq;  
sola moerens, secundis relicta nuptiis, quæ quidẽ quam-  
vis contigissent non perinde bonæ; tamen suo more evi-  
cit

cit patientia. Ergo malorum sortita terminum, huc nomen suum illibata contulit: pudica, benigna, patiens, matronarum decus omnium. In Christo requiescit suaviter. Mortua est die xxv. mensis Junii, ætatis suæ LXXI.

Liberi piissimæ matri mœrentes F.C.

AD HENIGII OLIM DECANI  
Misnensis tumulum.

*Ave pater, rex creator,  
Ave fili, lux servator.  
Ave pax & charitas:  
Ave simplex, ave trine,  
Ave regnans sine fine,  
Una summa trinitas.*

IN SUMMO TEMPLEO LEGITUR  
*hoc epitaphium.*

Sepultus est hic in Christo venerabilis D. Georgius Roschitz, quondam hujus Ecclesiæ Canonicus, qui te amice lector plurimum salvere, & bene valere jubet. Tu vicissim, si pius es, ipsius animæ requiem precare. Obit die VIII. mensis Julii.

A L I U D.

*Moribus innocuus, præclaro stemmate Princeps,  
Qui nivea placidus simplicitate fuit:  
Illa luce diem vidit, qua milite multo  
In Phrysiis genitor de patria ivit agros.  
Uno qui vixit tantummodo mense maritus,  
Postq; ævi septem lustra, reliquit humum.  
Ante patrem moritur, qui nulla prole relicta,  
Post etiam vitam finiit inde suam.  
Scilicet ex omni nil cuiquam parte beatum.  
Fata manent juvenes, credite, fata senes.*

IN TEMPLEO AFRANO.

*Serhusium domus est, clari virtute parentes,  
Nomen Johannes, gens mihi Schleinicia.*

Z u

*Mors est visa quies, aliam scio speroq; vitam,  
 Hic cinis ipse, novus quando futurus homo est.  
 Hoc posuit pietas fratrum officiosa sepulchrum:  
 Mens & amor nobis quatuor, unus erat.*

---

## A L I U D.

*Pro patria pugnans justis Michaëlus in armis,  
 Pro patria cecidit vir generosus humo.  
 Donec erit virtus laudi, laudabitur ipse,  
 Inter praestantes gloria rara viros.  
 Si vershusa tenet corpus, mens incolit astra.  
 Schleinitia gentis fama, decusq; vale.*

---

## A L I U D.

*Nobilitas, & opes & clari fama laboris,  
 Et studiis mores excoluisse bonis,  
 Magna viro laus est: sed nil praclarior illa,  
 Quam patriam, & verum quam coluisse Deum.  
 Laude hac, Schleinitia de gente Georgius ortu  
 In vita fuerit morteq; clarus erit.  
 Hunc tumulum nati caro posuere parenti,  
 Et dulci conjunx officiosa viro.*

---

## FILIULO GEORGII FABRICII.

D. O. S.

*Vixi quinque dies: vivo nunc omne per ævum:  
 In Christo factus rursus imago Dei.*

\*

*Mors mea, vita mea est.*

---

D. O. S.

*Vivis in amplexu Christi dulcissime fili,  
 Et quo latetur mens tua semper habet.*

\*

*Solvor morte mea, Christi virtute resurgo.*

---

## A L I U D.

*Hauptoldum primis pugnans vidit in armis  
 Gallia, Schleinitia nobile stirpe satum.*

Anti

*Ante Trecas cecidit, dum perstat fervidus hostis,  
Signa novans uno ter repetita die.  
Quem sua gens, & quem mœsti flevere parentes,  
Sed latum cernent mox meliore loco.*

---

D. O. S.

*Gestavit teneris te sedula mater in ulnis,  
Nunc manus excelsi te fovet alma Dei.*

Terrena vide; <sup>\*</sup>cælestia crede.

---

A L I U D.

*Cernis ut ignitis raptetur ad alta quadrigis,  
Spectatus celsa mente propheta Dei,  
Sic queis Christus amor, queis Christum cura docere,  
Ad caliniveis castra vehentur equis:  
Inter quos etiam nunc tulataris Alexi,  
Addite calicollis pars veneranda choris.  
Et quem Misniaca docuisti pastor in urbe,  
In claro illius lumine latus agis.*

---

A L I U D.

Paratum est cor meum Domino, paratum  
est cor meum.

DEO OMNIPOTENTI SACRUM.

*Hugo decus gentis Maxena in flore juvena  
Concidit, ut rigua flos speciosus humo.  
Fatalem in morbis variis cum cerneret horam,  
Ad Christum toto pectore versus, ait:  
Est tua delictis major clementia nostris,  
Victor, Christe, tuo sanguine mortis ero.  
In te credo unum, corpus tibi pono caducum,  
Inq; tuam patiens omnia trado manum.  
Hugo Dei vivens templum fuit atq; quiescens,  
Nunc colit in calis aurea templa Dei.  
Elizabetha parens, dilectaq; nomina fratrum,  
Hoc mœsti titulum constitueret loco.*



EXTRA URBEM AD D. WOLFGANGI,  
*epitaphium Johannis Rivii.*

JESU CHRISTO SACRUM.

Johan. Rivio Atthendor. viro opt. & mag. mor. severiff.  
præclaré de præsentibus posterisq; merito; ornato á prin-  
cipib. culto ab eruditis: cum Anna con. & Paulo fil. mor-  
bo populari extincto, hac terra condito: Georg. Fabricius  
Chem. Præceptorí suo incomparabili. Obiit Cal. Januarii,  
M. D. LIII.

DOMINUS ADJUTOR IN OPPOR-  
TUNITATIBUS.

G. FABRICIUS VIVUS DE SEIPSO.

*Fabricius studuit bene de pietate mereri.  
Sed quidquid potuit gloria Christe tua est.*

Σοὶ χάειν οἶδα θεῶ δ' ἀπλάγχρω ὅς μ' ἐδίδαξαι  
Ἐν βιοτῇ τε θανεῖν, ἐν θανάτῳ τε βιῆν.



MARTISBURGI.

Ad effigiem & sepulcrum Rudolphi, quem Saxones con-  
tra Henricum IIII. Imperatorem crearunt, hoc legi-  
tur monumentum:

*Rex hoc Rudolfus patria pro lege peremptus  
Plorandus meritó conditur in tumulo.  
Qua vicere sui jacet hic sacra victima belli.  
Mors sibi vita fuit, Ecclesia cecidit.  
Rex illi similis, qui regnet tempore pacis,  
Consilio, & gladio non fuit á Carolo.*

WITE.